

in eis evenerat, plurimum turbatus et magno dolore commotus, cepit condolere pariter et tristari; habito quoque principum et virorum nobilium consilio, ipse sua propria persona cum exercitu indefinito totius sui regni ad Italiam debellandam et subiugandam accedere proposuit. Misit autem legatos suos viros nobiles et sapientes Euricario, qui Teothonicam obtinebat provinciam, et Aurelio duci Saxorum atque Bruviserdo Suavorum¹ duci, fidelibus suis, ut cum omni gente eorum militum et virorum pugnatorum ad suam deberent accedere presentiam, parati armis bellicis et victualibus et omnibus necessariis per annos quinque in eius subsidio ad Italiam superandam proficisci deberent. Qui volentes Elotharii regis iussa adimplere cum omni eorum gente et victualibus et aliis rebus et omnibus necessariis ad ipsius curiam festinanter accesserunt. Dicitur enim in expeditione Elotharii regis illos habuisse et duxisse quadraginta milia militum et virorum bellicorum. Rex autem Elotharius fertur habuisse ex gente sua treginta sex milia militum [et²] armatorum virorum; collecto igitur exercitu ad Italie partes pergere festinavit. Descendens autem cum exercitu ad Vicentie partes et Veronorum, ipsas cepit; homines ipsarum civitatum³ et eorum bona omnino in sua posuit virtute. Deinde⁴ accedentes Tarvisium et Pictavium⁵ et Montem-Silicis occupavit. Postea Mantuam et Cremonam appropinquans, eas cepit; pergens etiam Brixiam et Pergamum, illas suppeditavit, omnes predictas civitates sibi fecit tributarias. In unaquaque⁶ vero civitatum predictarum virum nobilem et prudentem constituit potestatem, qui eas ad Ungarie regis honorem conservaret. Audientes vero Mediolanenses de Elotharii Ungarie regis adventu, et qualiter⁷ Panonie civitates et loca et castra occupaverat et subiugaverat, gentem eorum universam congregaverunt. In campo quidem Martio castramentati fuerunt, sperantes et firmiter credentes fortunam belli cum Elothario rege Ungarie temptare posse; sed audito et cognito in expeditione ipsius Elotharii esse innumerabiles et ferrocissimas nationes virorum bellicorum, Teothonicorum, Saxorum, Biemorum⁸, Brienzonum, Scaviorum et multorum aliorum, ad civitatem redierunt; ipsam quoque machinis et omnibus insidiis quibus potuerunt integrabiliter munierunt. Et dum hec in Mediolanensi civitate agerentur, Elotharius rex ad ipsam appropinquavit civitatem et sua posuit tentoria; quam manganis⁹, predariis

1) 'Saxorum' auch hier Hs., aber Galv. Flamma, Manip. florum c. 65, Muratori, SS. XI, 583, 'Brunisterdus dux Sueviae', wo diese Capitel in c. 51. 63. 65—67. stark benutzt sind. 2) Fehlt Hs.; vgl. oben f. 46^a: 'militum et virorum pugnatorum'; f. 50^c: 'militum et peditum armatorum'; f. 51^c: 'militum et armatorum pugnatorum' etc. 3) Das soll Padua sein, vgl. oben S. 487. 4) 'unaqueque' Hs. 5) 'adv. equaliter' Hs. 6) 'bienniū' Hs.; vgl. oben S. 477 u. 264. 7) 'magnis' Hs.; vgl. Ann. Plac. p. 445, 5: 'cum manganis et predariis et aliis machinis fortiter expugnaverunt', und ganz ähnlich sehr oft.